





Diss.

Not.



35 33  
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI  
DOMINI  
CAROLI  
DVCIS BRVNOVICENSIVM ATQVE LVNEBVRGENSIVM  
PRINCIPIS AC DOMINI NOSTRI  
LONGE CLEMENTISSIMI  
NATALEM  
QVADRAGESIMVM OCTAVVM  
AVSPICATISSIMVM

DIVINA FAVENTE GRATIA

CALENDIS AVGVSTI A. dno 1621.

ILLVSCENTEM

HORA EIVS DIEI II. POMERID.  
IN DVCALI ANNA - SOPHIANEO  
QVOD SCHENINGAE EST

PIE CELEBRANDVM

NVNTIAT

---

PRAEMISSA  
EPISTOLARVM PHILIPPI MELANCHTHONIS

NVNQVAM ANTE HVNC DIEM EDITARVM  
DECADE ALTERA

---

M. IO. ARNOLDVS BALLENSTADIVS

RECTOR

---

HELMSTADII

EITTERIS LEVCKARDIANIS



SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI  
DOMINI

CAROLI

PRINCIPIS AC DOMINI  
SACRAE THEOLOGIAE

PROFESSORIS  
AC ACADEMICI

AMERINENSIS

UNIVERSITATIS

IN AMERINO

PROFESSORIS

AC ACADEMICI

IN AMERINO

PROFESSORIS

AC ACADEMICI

IN AMERINO

PROFESSORIS

AC ACADEMICI

IN AMERINO

PROFESSORIS

AC ACADEMICI

IN AMERINO

PROFESSORIS

AC ACADEMICI







**E**pistolarum PHILIPPI MELANCHTHONIS  
nunquam antea editarum altera jam decas  
prodit, priorem, quam tum, quum *Saecu-*  
*laris Pacis Religionis* memoria publice a nobis ce-  
lebraretur, anno nimirum **CLIOCCCLV.** cum eru-  
dito orbe communicavimus, posteaquam nec ingra-  
tam, nec inutilem plane fuisse intelleximus; Nec  
enim tinemus, ne, quum ea res grata ut quae ma-  
xime Viris Principibus fuerit, non iuuentuti etiam  
ceterisque magnas utilitates praebuerit. Ut vero  
in priori editione temporis rationem habuimus;  
ita et nunc facimus, non nisi epistolas **CLIOXLIII**  
et **CLIOXLIV.** annis ad NICOLAVM MEDLE-  
RVM, de eo: *An Senatui Populoque Brunsvicensis*  
*Ciuitatis ipsum ad praesulis munia vocanti sit mos ge-*  
*rendus,* a P. Melanchthone perscriptas, in medium  
proferentes.

Quod si quis est, cuja interfit scire, cuiam  
debeamus hasce cum reliquis ad Medlerum epi-  
stolis, eas ex VALENTINI BAVARI *Rhapsodia*  
exscriptas cura et liberalitate B. IO. CHRISTOPH.  
WOLFII, Pastoris quondam ad D. Catharinae apud  
Hamburgenses, quem Virum post fata etiam ve-  
neramur, nos possidere, lubentes fatemur; quod  
quidem iam tum, quum P. Melanchthonis ad Med-  
lerum epistola **CLIOXLVII.** scripta opera nostra  
exiret, prae nobis tulimus.



Consilii quidem hujusce nostri rationem Lectoribus probare animum induxeramus; sed quum via ipsa, quam iniuimus, virorum illustrium vitas ex epistolis illustrandi, jam ab aliis sit trita; tum veremur, ne commodorum enumeratio, quae ex eo negotio res litteraria fert, superuacanea multis videatur. *Multum sane prodest*, Celeb. HEVMANNVS in *Conspectu Reip. Litter.* inquit, *epistolarum lectio in historia cum litteraria, tum et reliqua*; qui etiam Melanchthonianas epistolas praecipuum praeter ceteras vsu in re litteraria habere adfirmat. Et ita sane esse lectio ipsa comprobabit.

Cognoscimus enim ex hisce ad Medlerum litteris de Sacris procurandis, de sacerdotibus creandis verbique diuini ministris vocandis, quantum curam adhibuerit Ciuitas Brunsvicensis, quantum in eam rem contulerit operam, quantas impensas fecerit Senatus Populusque. Ad Principes Imperii Proceresque et ad Ciuitates missi sunt legati, non infimi ordinis homines; LUTHERVS, MELANCHTHON, POMERANVS, MAIOR, CRVCIGER, reliqui, Viri, qui orbem terrarum nominis sui gloria implerunt, in consilium sunt aduocati: Ipse Medlerus non nisi satis longo intervallo adduci potuit, vt Brunsvigam migraret; tres enim fere annos inter manendi eundique consilium interfuisse scimus. Quae quidem omnia, in primis quo loco Medlerus, qui alterum post emendatam ecclesiam Brunouicensem sacrorum antistitem in ea ciuitate egit, MARTINO GOROLITIO



eo sacerdotio abeunte, apud Lutherum et Philippum fuerit fidelissima nimirum vtrique gratia conjunctus et amicus et discipulus; quam honorifice de Saxonia nostra majoribusque praedicavit Melanchthon, quam prudenti consilio moneat vitam eorum, qui invidiae, qui dimicationibus, quotidianisque hominum profligatorum impetibus objiuntur; qua consolatione sustentet illos, quibus tempestates et procellae subeundae sunt, qui in insidiis versantur, contumeliis eluduntur conviciisque profcunduntur; quum lectu jucunda sint atque suauius immo salutaria atque utilia: tum ex ipsis litteris cernere licet, quas ideo sine vlla mora abjecta omni cunctatione B. Lectori in conspectum damus.

## DECAS II.

## EPISTOLARVM

## MELANCHTHONIARVM

## AD NIC. MEDLERVM.

## I.

*Reuer. Viro, Eruditione ac Virtute praestanti, D. NIC. MEDLERO, D. Theol. Pastori Eccl. Dei in inchyta vrbe Numburgensi. Amico et Fratri Carissimo. P. Mel.*

**R**euerende Vir et Amice Carissime. Magno cum dolore legi eas epistolas, quas M. Georgio (Majori) misisti. Nam maxime optandum est, vt et voluntates docentium euangelium et ecclesiarum



inter se sint conjunctissimae, praesertim quum tantum sit inter Principes diffidorum, qui debebant esse publicae concordiae duces et auctores. Adhortor igitur te et obtestor, vt tua dissimulatione seu silentio potius obruas illam offensionem. Ars quaedam est et philosophia non vulgaris, lenire tales impetus tacendo. Hanc ego non raro exerceo, habeoque in ore illud Cornelii Celsi de morbis scriptum, quod ad *πάση πολιτειᾷ* transfero: Multi magni morbi curantur abstinencia et quiete. Si non possumus obtinere rectissima, at in munere Euangelico, quod proprium et praecipuum est, teneamus, doceamus vtilia. Id cum facias, scito, te praeclare mereri de ecclesia, etiamsi plura efficere non potes. Ciuitas Brunsviga nominatim te expetit ad se mitti, vt tibi munus superatendentis commendet. Etsi autem nollem, te a tua ecclesia facile discedere; tamen hoc indicandum tibi esse duxi, vt significares mihi tuam voluntatem. Nusquam sine agonibus et sine cruce sonabimus euangelium. Hodie mane accepi tristissimas litteras a Principe quodam. Adeo ubique plurimarum est miseriarum. Feramus igitur nostras difficultates sapienter. Bene vale. d. XXVIII. Mart. c1510XLIII.

## II.

Cogor breuius respondere propter alias occupationes. Non dubito, quin Dux Saxoniae retinere te Naumburgi cupiat, si tu manere velis.

Et



Et nos ita consulimus, te retinendum esse, nisi tamen tu ex eo loco, in quo nunc es, discedere cuperes. Et indicauimus Principi, te a nobis petiisse, vt aliquando in loco alio collocareris; sed malle nos, vt, si fieri possit, in ecclesia Numburgensi maneas. Tibi ergo statuendum est plane et clare. Nos mouemur hoc argumento, quod diligi te ab ecclesia tua intelleximus, et quod iam senescenti proficisci praesertim in Saxoniam (\*), vbi victus ratio et multa a tua consuetudine discrepant, fortasse minus est commodum. Et speramus eas offensiones, quae istic extiterunt, ex Praesidis (\*\*\*) tyrannicis adfectibus, tempus aliquando sanaturum esse. Sed haec omnia expendere tu ipse melius potes, cum vestra respublica tota tibi sit notior. De stipendio etiam propter liberos cogitandum est. Nescio, quantum vtroque loco proponatur. Quare re deliberata ipse statues, certe, vram conditionem malis. Mea tibi officia nunquam defutura sunt. B. V. d. VI. Apr. 1543.

(\*) Saxoniam inferior intelligitur. Erat autem Medlerus Curia - Variscus.

(\*\*) Doct. CREVTZ notatur.

## III.

In tanta mole occupationum nostrarum non possum satis prolixè scribere, cum quidem res posceret. Nuper huc Senatus et Ecclesia Brunsvicensis miserunt legatos (\*), ac petiuerunt, vt indicarem illis inspectorem και επισκοπον ecclesiarum sua-



### VIII

suarum. Nam qui fuit haecenus (\*\*) nunc sacerdotio in Collegio Canonorum donatus, lector est, et laborem inspectionis volens deposuit. Indicauimus te, et pollicitus sum, me exploraturum esse voluntatem tuam. Vides jam flagitari responsum. Rogo igitur, vt significes mihi, an velis migrare Brunsvigam accersitus. Honestum stipendium deferunt tibi et te maxime expetunt. Scio, te amari ab ecclesia Naoburgensi; sed etiam aliis ecclesiis inferuendum est, et fortassis te, qui istic rempubl. gubernant, non inuiti dimittent. Oro, vt re deliberata, et cognita ecclesiae vtilitate explicata et categorice, vt dicitur, nobis respondeas, an accersitus Brunsvigam et quanto stipendio venturus sis. Profecto bene faceret, qui in illa Saxoniae vrbe principe ecclesias fideliter regeret; nam et toti Saxoniae prodesse posset. B. V. d. XXII. Apr. Haec scripsi D. Lutheri, D. Pomerani et D. Crucigeri mandato.

(\*) FRANC. CAHLENIVM et HENR. SCHRADERVM, COSS. et DIETER. PREVSSENIVM, Secret.

(\*\*) MART. GOROLITIVS, primus Eccl. Brunsvic. Superintendens.

### IV.

O felices ecclesias! vbi hi sunt mutui affectus doctorum, et populi, quos Paulus describit, inquiens: Quis est corona vestra, nisi ego? (\*) Talem benevolentiam mutuam vt Deus multis locis



cis largiatur, ex animo opto. Ibi enim facilis et felix gubernatio est, vbi sic amat populus pastorem et pastor populum. Non dubitabam de voluntate tua ecclesiae; sed illa duo mecum disputabam: Fortassis te propter aulam vestram malle alibi esse; deinde te in Saxonia multis gentibus inferuire posse. Hanc deliberationem velim te apud animum tuum instituere. Die proximo martis veniam Naoburgum, iturus Wimariam propter quoddam tutelae negotium. B. V. Cal. Maj. c1310XLIV.

(\*) *Ad Philip. IV. 1.*

## V.

Non miror, difficilem tibi esse de negotio Brunsvicensi deliberationem. Nam in his praesertim reipubl. confusionibus mutationes periculosae sunt. Me haec sola causa mouit, vt hortator esse in spiciendae ἐπισκοπῆς in ea vrbe, quod majori ecclesiae et vicinae genti Saxonicae consuli volebam. Mouit fortasse te non nihil altera causa, quod aula est negligentior. Sed in democratia non minus est molestiarum, quam in aulica gubernatione. Multi sunt inuidi; multi obrestatores, multi abhorrentes a doctrinae luce, multi metuentes sacerdotum, vt ipsi loquuntur, nouam potentiam. Haec praesertim comperies in vrbibus maioribus. Quare si tranquillitatis rationem habes, et te, et familiam tuam arbitror suauius in illa Naoburgensi humanitate viuere posse. Sed videre te ecclesiam Brunsvicensem optarim. De

B

tota



tota re, cognito ejus ecclesiae statu, facilius poteris judicare, quid agendum sit. Quod vero ad senatum scribi volebas, cum tu nondum decreueris, an accepturus sis functionem aliam, honeste scribere non potui. Credo sine cujusquam reprehensione te posse exspatiari, ut saepe ad nos exspatiatus es. Cogita quam esset absurdum, jam ostendere migrationem, cum tuum propositum adhuc sit incertum. Sed ubi decreueris, vise Brunsvigam. Postea ad Senatum tuum scribendum erit. Non dubito, quin cogitata hac re diligentius, probaturus sis meum consilium, quod non scripsi ad senatum tuum, teque rogo, ut boni consulas, quod tuae petitioni non satisfacio. Nam te ipsum judicem facio, utrum sit honestius exspatiari, sine significatione novi consilii, an vero jam ostendere migrationis propositum, cum id adhuc sit incertum. B. V. d. Maji XIII. c1010XLIV. Nec nuntio, nec aliis quicquam de argumento litterarum tuarum dixi.

## VI.

Et si memini, quid mihi responderis, de negotio Brunsvicensi; tamen cum nuper ad me rursus scriberet Brunsvicensis Senatus, volui adhuc tibi deliberationem integram relinquere. Statues ergo, et ad Senatum ipsum Brunsvicenf. scribes ex his nundinis. Optarim illi ecclesiae, immo et toti orae Saxonicae bene consultum. Olim ea natio vicit reliquam Germaniam multitudine litteratorum.



rum. Est enim ingeniosa et tunc propter opes et dignitatem colebat studia litterarum. Nunc tantam litteratorum turbam non habet. Et tamen vides, ecclesias sine litteris, sine eruditione multiplici regi non posse. Haec mihi scribendi venit in mentem filii tui, qui magno ornamento futurus erat ecclesiae Dei, si vixisset. (\*) Rogo igitur, ut cogites, quomodo Saxoniae consulatur. B. V. d. XXI. Iun. 1610 XLIV.

(\*) SAMVEL, qui a. 1543. annos XVIII. natus summos in Philosophia honores Witteb. consecutus a. 1544. morbo contagioso correptus vitam cum morte commutauerat.

## VII.

Deus aeternus, Pater D. N. I. C. regat Spiritu suo deliberationem tuam de Eccl. Brunsvic. Promisit Christus, se nobis daturum Spiritum Sanctum suum *πνεῦμα ἅγιον*. Hic utinam semper pectora et mentes nostras regat, ut in tantis vitae periculis ducat nos, ut Moysen per vendas, ut Esaias inquit. Legi tuam epistolam scriptam ad Rorarium, (\*) teque velim placido et leni animo tolerare, et prorsus dissimulare indignationes illas. Nam nullius est tanta diligentia, tanta circumspectio, tanta moderatio, ut cauere possit in gubernatione, ne existant aliquae offensiones, sed cum ortae sunt, sapienter leniendae sunt. Haec tibi scribo paene veterano veteranus. Vtrumque aeternae multum docuerunt, et fuerunt nobis *παθήματα μαθή-*



*μαθήματα.* Sed in his discamus, nobis adesse Spiritum Sanctum monitorem, *καὶ παραύλητον,* et regi nos ejus consilii petamus; et videamus, ne ipsi aliquid faciamus praecipitanter aut turbide. Sed haec alias. B. V. d. X. Jul. 1544.

(\*) M. GEO. RORARIUS, Diaconus Witteberg. primus ille omnium, quos D. Lutherus sacris solemni in nostris ecclesiis ritu initiauit.

## VIII.

Ante octiduum hic fuit Secretarius Ciuitatis Brunsvigae, (\*) cum nondum accepissem litteras tuas, et exposuit ea, quae tecum Senatus egit, ac petiuit, vt nos scriberemus ad Ducem Saxoniae Electorem, nostro te consilio vocatum esse. Ac dedissemus ei litteras, si tuam epistolam habuissem, quae postea allata est. Sed nisi voluntas a te ipso nobis praescipta esset, nihil ad Ducem Saxoniae scribendum esse duximus. Fui hortator Secretario, vt ad te nuncium mitteret. Sed quid egerit, nescio. Expectabimus igitur alias Brunsvicensium litteras. Oportarim recte consuli Saxoniae et vidisti, opus esse aliquo erudito governatore. Illud autem te moneo, si discedes Naoburgo, vt liberum Episcopo (\*\*) relinquis, quem velis tibi successorem dari. B. V. d. VIII. Aug. c1010XLIV.

(\*) DIETER. PREVSSE.

(\*\*) NICOL. AB AMBSTORF.





## IX.

Semper dubitator habet incommoda, inquit Hestodus. Tandem igitur vellem, te tuo consilio statuere et facere, quod decreuisses. Principem intelligo malle, vt maneat Naoburgi et fortassis id petat. An velit episcopus, nescio. Tu igitur statuas. Nunc D. Lutherus ad episcopum profectus est, et dixit, se cum eo deliberaturum esse de multis rebus, in quibus etiam haud dubie complecteretur munus concionatoris in tua ecclesia. Illud tibi deliberandum et statuendum erit, an mansurus sis, si Dux Saxoniae petet, vt maneat. Legi epistolam senatus vestri, nec dubito, quin Princeps curaturus sit, vt tibi exponatur sua sententia, cum sciet, te Naoburgum reuersum esse. Id enim ante triduum nesciuit. B. V. d. XI. Aug. cloloxliv.

## X.

Animaduerti Principem Illustrissimum clementer de te sentire. Et fortassis vbi audierit controuersias, quae tibi sunt cum ciuibus, volet te manere. Quodsi petet, deliberandum tibi erit, quid responsurus sis. Ego mihi nihil juris nec auctoritatis fumo. Sed quae egi de ecclesia Brunsvicensi, egi bono studio, illis petentibus, et videbam, offensiones inter te et episcopum crebras incidere. Nunc permittam exitum Deo, qui tuam voluntatem et aliorum consilia flectat, ad id, quod ecclesiae vtilissimum est. Nusquam sumus aut erimus sine ali-



quibus difficultatibus et periculis. Ego quantum laborum, curarum, dolorum, sustinuerim multos annos, multi boni viri norunt, et tamen in hac fenestra exilium exspecto. B. V. d. XXV. quo ante annos XXVI. veni primum Vitebergam (\*), et quo ante annos. cldcccclxxiv. Alexander vicit Darium ad Arbela. Mitto tibi et Consuli Medico (\*\*)

(\*) A. cldcxviii. XXV. Aug.

(\*\*) IO. STEINHOFIVS, Med. D.

Nunc qua de causa vulgauerimus ista, paucis indicandum erit. SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO CAROLO, DVCI BRVNSVICENSIVM ATQVE LVNEBVRGENSIVM POTENTISSIMO, PRINCIPI NOSTRO AC PATRIAE PATRI LONGE INDVLGENTISSIMO, cujus LVX NATALIS XLVIII. feliciter reuertit, animi nostri cultus deuotissimi testificandi causa ad dicendum publice adsurgent aliquot Lycei hujus alumni, pietatis hujus nostrae interpretes atque sponsores, erectioris ingenii iuuenes, morumque probitate atque litterarum causa commendandi temporumque nostrorum memores de rebus physicis orationes habebunt. Declamandi igitur initium faciet

I. CAROLVS SOELLIG, Blancoburgensis, de Saeculi hodierni felicitate, quod ei Principes contigerint cum in rempublicam atque litterariam, tum in studium rerum naturalium promouendum omni cura



*cura cogitationeque incumbentes, lingua Franco-Gallica diserturus simulque Auditorum Honorat. fauori commilitones suos commendaturus.*

2. Inter se colloquentur et quidem lingua Teutonica  
GVILIELMVS CHRISTOPHORVS TRIPP,  
Brunsvicensis, & CAROLVS HENRICVS  
CHRISTIANVS SCHVLZE, Scheningensis, de  
*rebus physicis, de Lapidibus & Concretis, deque  
speciebus Concretorum, de Poris, Petrificatis, Fi-  
guratis et Calculis; de usu earum rerum et de  
via, qua ad nos peruenerunt.*
3. De *Anoenitatibus Hortorum* sermonem instituet  
Germanicum SIGISMVNDVS ANASTASIVS  
CVNO, Offlebio-Brunsvicensis.
4. De *Physices studio in Scholis minime susque deque  
habendo* aget CAROLVS FRIDERICVS RIE-  
SEL, Scheningensis, carmine epico Latino.
5. CHRISTOPHORVS FRIDERICVS OTTO  
SCHOLZ, et IVLIVS BERNHARDVS BAL-  
LENSTEDT, uterque Wolfenbuttelenfis, de  
*Notitia rerum naturalium ad studium juris exco-  
lendum maxime necessaria colloquium* facient  
lingua domestica.
6. De *utilitate studii Physici in Iurisprudentia ad di-  
cendum* veniet IOHANNES CHRISTIANVS  
MÜLTER, Scheppenstadiensis, lingua patria,  
carmine.



7. Denique *hoc studium a SERENISSIMO DVCE NOSTRO prae ceteris amari, ita, ut ad prouehendum illud nulli curae nullisque suntibus parcat,* pro concione exponet oratione panegyrica numeris adstricta CAROLVS FERDINANDVS GVNTERVS RITTER, Grena-Brunsvicensis. Inprimis autem is devotissimis precibus ac votis SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI NOSTRI, DOMINI CAROLI, NATALEM AVSPICATISSIMVM prosequetur, ut Deus T. O. Max. annum, quem ingressus est PATER PATRIAE INDVLGENTISSIMVS, Quadragesimum Octauum ex omni parte felicem faustumque, LVCEMQUE ILLIVS NATALEM quotannis et iucundiozem et feliciorẽ reuerti jubeat.

Quibus Ornatissimorum Iuuenum conatibus vt musarum palaestraeque hujus litterariae PATRONI, FAVTORES et AMICI OPTIMI QUIQUE faueant, oratoribusque hisce nouellis aures benignas praebeant, praecipue autem votis ardentissimis, quae pia castaque mente nuncupaturi sumus, beneuole adsint, ea, qua decet obseruantia etiam atque etiam rogantur. P. P. Scheningae  
Cal. Aug. c101occlx.





00 A 6427

ULB Halle

3

002 927 292




R











35 33

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI  
DOMINI  
CAROLI  
DVCIS BRVNOVICENSIVM ATQVE LVNEBVRGENSIVM  
PRINCIPIS AC DOMINI NOSTRI  
LONGE CLEMENTISSIMI  
NATALEM  
QVADRAGESIMVM OCTAVVM  
AVSPICATISSIMVM  
DIVINA FAVENTE GRATIA  
CALENDIS AVGVSTI A. cldo cclx.  
ILLVSCENTEM  
HORA EIVS DIEI II. POMERID.  
IN DVCALI ANNA - SOPHIANEO  
QVOD SCHENINGAE EST  
PIE CELEBRANDVM  
NVNTIAT

---

PRAEMISSA  
EPISTOLARVM PHILIPPI MELANCHTHONIS  
NVNQVAM ANTE HVNC DIEM EDITARVM  
DECADE ALTERA

---

M. IO. ARNOLDVS BALLENSTADIVS  
RECTOR

---

HELMSTADII  
LITTERIS LEVCKARDIANIS